



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Stirps Anicia, Romana Nobilissima, Stemma Primum. Anicivm. §. ix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

CONSVLES ANICIAE FAMILIAE,  
quorum anni Consulatus ignorantur.

Anicius Vitalianus, V. C. Cos.

Anicius Gordianus, V. C. Cos.

Anicius Gregorius Gord. F. V. C. Cos.

Anicius Gordianus Greg. F. Gord. N. V. C. Cos.

Anicius Gregorius Gord. F. Greg. N. V. C. Cos.

Anicius Dorotheus V. C. Cos. nouæ Romæ.

Anicius Æquitiuſ V. C. Cos. nouæ Romæ.

STIRPS ANICIA,  
ROMANA NOBILISSIMA,

Stemma Primum.

A N I C I V M.

§. IX.



**Q**uintus Anicius Prænestinus, pri-  
mus in Historijs Anicij condecora-  
tus nomine, vir magna potentie, ob quam  
à S. P. Q. R. Reipub. hostis adiudicatus  
fuit. Sed inde postmodum facultatibus  
restitutus, ab exilio reuocatus, etiam Aedilis Curu-  
lis dignitate donatus est, una cum Cneio Flauio, Annij  
filio, anno ab Vrbe condita 450. secundum Varronia-  
nam computationem, quam hic sequi proponimus, P. Sem-  
pronio Longo, siue Sopho; & L. siue P. Sulpicio Sauer-  
rione Coss. Plin. lib. 33. cap. 1. Ex uxore cuius nomen  
igno-



ignoratur, genitus filius Marcus. Gessit pro insigni  
Turrum argenteam, in campo rubra.

Gradus 2.

Marcus Anicius, Quinti Praenestini filius, nulla re  
alia memorabilis, nisi quod in triumpho nepotis sui praenotatus  
inuenitur in Fastis Capitolinis Parastata tertia,  
genuit filium Lucium.

Gradus 3.

Lucius Anicius, Marci filius, in eadem conditione  
inuenitur qua pater eius, filium sibi equiuocum Lucium  
reliquit.

Gradus 4.

Lucius Anicius Gallus, Lucij filius, vir bellica lau-  
de clarissimus, qui ut affirmat Titus Linius lib. 4. dec. 5.  
Praetor Urbis creatus est, anno ab Vrbe condita 584.  
& anno 586. triumphauit de Rege Gentio & Illyrijs,  
ut produnt Fasti Triumphorum, & Ouationum Capi-  
tolini Parastata tertia, in quibus haec inscriptio legitur:

L. Anicius. L. F. M. N. Gallus, Anno DXXCVI.

Pro Pr. de Rege Gentio, & Illuricis

Quirinalibus.

Eius meminit & Plutarchus in vita Pauli Aemilij,  
& Velleius Paterculus lib. 1. hist. Rom. Apud Huber-  
tum Golzium in li. de Fastis Magistratum, & Trium-  
phorum Romanorum, huius Anicij Nummus reperitur,



in cuius priori parte visitur Mulier alata, per quam Anicij fama denotabatur, quæ Bigæ, siue currui duarum rotarum imposita, & in pedes erecta flagello duos Equos velocissimos, quasi Anicij fame nuncios, & cursores, agebat. Sub curru hæc inscriptio legebatur:

L. Anicij, L.F.

In posteriori vero parte, circum circa Nummum, de reliquo vacuum, hæc erant:

Salus Pro Pr. Ex S. C.

Genuit ex uxore quam habuit filium sibi æquiuocum, Lucium.

Gradus 5.

LVCIVS Gallus, L. Anicij Galli filius, cuius Consulatus, quem cum M. Cornelio Cethego gessit anno Urbis 594. in Fastis Verrij Flacci, Cassiodori, & aliorum, sic notatus reperitur: L. Anicius L.F. L. N. Gallus, filium habuit N.

Gradus 6.

N. Anicius, Lucij Anicij Galli filius: L. Anicij Galli nepos; liberos genuit, sed ignorantur.

Gradus 7.

N. Anicius, N. Anicij filius: Lucii Anicii Galli, nepos: & L. Anicii Galli pronepos: de reliquo nec ipse, nec filius qui ei successit agnoscuntur.

Gradus 8.

N. Anicius. N. Anicij filius: N. Anicii nepos: Lucii Anicii Galli pronepos: & L. Anicii Galli abnepos, filium genuit Cerealem.

Gra-



Gradus 9.

Lucius Anicius Cerealis, sic à Cerere dictus, Gallus, N. Anicii filius; N. Anicii nepos: N. Anicii pronepos. Lucii Anicii Galli abnepos, & L. Anicii Galli atnepos, uti edocti sumus ex quodam indice Consulium Romanorum Anicie familiae, à R. D. Hieronymo Brugia Abbate Casinensi nobis à Roma transmissis, ex quo praenomen item Lucij, quod à Panuino tacetur, & Galli agnomen, hucusque ab aliis ignoratum accepimus. Consul suffectus est, ut recitat Corn. Tacitus lib. 15. Aug. hist. in fine, in locum Plautii Laterani in Magistratu occisi, an. ab Urbe condita 818. Christi vero 66. eius filius fuisse perhibetur L. Tutius Cerealis.

Gradus 10.

Lucius Tutius Anicius Cerealis, Anicii Cerealis Galli filius, Consularem dignitatem adeptus est an. Urbis 859. Christi 107. una cum Commodo Vero, ut Fasti Graeci edunt. Eius meminit Plinius lib. 2. epist. ad Arianum. Genuit filium Anicium Tutium.

Gradus 11.

Anicius Tutius, L. Anicii Tutii Cerealis filius, nulla alia re clarus, praeter quam quod filium genuerit sibi aequiuocum Tutium, qui Consulatum promeruerit.

Gradus 12.

Anicius Tutius, Tutii filius, Vitrasius, Pollio, cum Seruilio Pudente Consul designatus an. Urbis 919. Christi 167. iterumque cum M. Flavio Apro II. an. 929. Urbis,



Urbis, Christi 177. cuius Consulatus in Fastis Capito-  
linis, & aliorum sic legitur notatus.

T. Vitrasius, T. F. L. N. Pollio, II.  
Eius meminerunt Lampridius in Commodo, & Jul.  
Capitolinus in Marco. Nomen Aui illi appositum, vi-  
delicet: L. N. communicauit nobis R. P. Hieronymus  
Bardi. Filium genuit Aniciam Cerealem.

Gradus 13.  
Anicius Cerealis, Anicij T. Pollionis filius, cu-  
ius meminerunt Dio, & Spartianus in Caracalla, cum  
Aimilio Lato, II. anno Urbis 968. Christi 216. Con-  
sulatum adeptus est. Horum exstat memoria in hanc an-  
tiqua inscriptione.

Terentiæ Flauolæ V. V. Max. Ti. Iulius Bal-  
billus, Sac. Solis, ob plura eius in se meri-  
ta DD. Prid. Non. April. Lato II. & Ce-  
reale Cos.  
Eius filius fuisse predicatur Balista.

#### GENS ANICIA MAXIMA.

Qualis fuerit olim Familia Maxima ex Anicijs Romæ, quam  
clara, & illustris, satis superque aperit Aurehus Cassiodo-  
rus, lib. 10. Variarum epist. 11. & 12. quæ sunt Theodahadi Regis  
ad Maximum Anicium Domesticum V. I. & Senatam Urbis Romæ,  
qui inter cætera sic loquitur: *Anicios quidem penè Principibus pa-  
res ætas prisca progeniuit; quorum nominis dignitas ad te sanguinis fon-  
te perducta, collectis viribus hilarior instaurata rutilauit. Quis ergo re-  
linqueret in posteris minus honoris, quæ tam diu constat fuisse præci-  
pios? Acusarentur secunda, si talis potuisset latere familia, &c.*  
Et paulo infra in eadem ad Maximum epistola, conferens illi Pri-  
micriatus



miceriatu qui & Domesticatus honorem, ait: *Hic honor, quamuis tantis natalibus videatur inferior, cunctis tamen fascibus tuis videtur esse felicius, cuius tempore meruisti coniugem Regiæ stirpis accipere, &c.* In ea vero, quæ est ad Senatum Romanum inquit: *Neque enim fas est humile dici, quod gerit Anicius, Familia toto Orbe prædicata, quæ verè dicitur nobilis, quando ab ea actionis probitas non recedit, &c.*

Ex hac familia ferunt quendam Anicium Maximum (vtrum tamen nomen eius id fuerit, an cognomen explicare nequeo) huius Anicij Cerealis ætate in Britanniam adnavigasse, cum alijs Legionibus militum Romanorum, tam gregariorum peditum, quàm phaleratorum equitum, qui accepta in vxorem puella illius Regni nobilissima, quatuor ex ea liberos sustulit; sicque factum est vt Anicia Familia propaginibus suis vltra mare Britannicum emissis, etiam Regni illius fasces moderata sit. Huius verò liberos nemo ideo minus Anicios fuisse putare debet, quod in alieno solo nati sint; pluribus nanque Romanis contigisse in prouincijs diuersis occasionibus nasci, multa exempla suppetunt, ut de S. Ambrosio legimus, qui natus est in Gallijs, cum parens eius in Gallijs gereret præfecturam: Sanctus Paulinus Anicius Burdigalæ in Aquitania, Imp. Iustinianus Anicius in ciuitate Bederina, quæ nunc Iustinopolis uocatur in Illyrico: & alij in alijs, ut hi Maximi in Britannia, quamuis origine Romani forent.

Eorum uero nomina fuerunt

<p>Anicius Trahe- rus Ma- ximu Britan- niæ rex.</p>	<p>Anicius Marius Maximus, Rex Britanniæ.</p>	<p>Anicius Ioelinus, si- ue Leoninus Maxi- mus, Britannia e- gressus, Romã cum Fl. Constãtio Chlo- ro Imper. cognato suo perrexit, ducta- que nobilissima Ro- mana fauore Imper- atoris (fortassis ex Anicia Familia, de qua ipse originẽ ha- bebat) &amp; in Britanniam postmodum abducta, ut auctor est Galfridus rer. Brit. lib. 5. c. 9. ex ea filium procreauit, qui postea Imperator acclamatus est.</p>	<p>Anicia N. vxor Coylli, Ducis Clocestriæ, &amp; post Britanniæ Regis: ex cuius coniugio nata. S. Helena, quæ Imp. Constantio Chloro nup- ta, ex eo ma- ter effecta est filij cuius nomẽ Constantinus Im- perator oium Im- peratorum primus Christianus.</p>
---	---	--	---



Flavius Anicus, Magnentius Maximus, in Britannia natus, qui Flauis Merobaude. II. & Saturnino VV. CC. Coss. an. Urbis conditæ 1135. Christi 383. à militibus in Britannijs, ex Duce exercitus contra Gratianum Imp. appellatus est: eodem anno imperare cœpit Lugduni occiso Gratiano octauo calend. Septembris: & imperauit in Galliis, contra Valentinianum Iuniorem, annos 5. & dies 11. Prælio uictus à Theodosio Imp. Aquileiæ, occisus est 6. calend. Septembris, anno Christi 388. Urbis conditæ 1140. Eius uxor N. filia Octauii Britannia Regis, siue Ducis, ex qua nati. *Galfredus, lib. 5. c. 9. & alij.*

Flavius Anicius Victor, à patre in Galliis Augustus appellatus, eisdemque prouincijs Præpositus, iisdem Coss. quibus pater Imperium cœpit; eodemque anno quo pater cæsus est, & ipse iussu Theodosii in Galliis est interfectus. Ex uxore N. genitus: *Panuinus, ibidem.*

Anicius Maximus, patri superstes. *Panuinus, Rom. Principi, lib. 1.*

Utrum filios habuerit incertum.

Flavius Anicius Maximus, Romæ natus, Consulatum egit prima uice anno Urbis 1185. Christi 433. cum Imp. Theodosio Iun. XIII. secundo anno Urbis 1195. Christi 443. cum Flauio Paterno. Et mortuo Flauio Placidio Valentiniano Imp. III. ex Patricio, & Senatore Imperator creatus est anno Christi 455. die 16. cal. Aprilis: & imperauit Romæ menses 2. & dies 27. Occisus eodem anno à Vandalis, qui Duce Gensericho eorum Rege Romam inuaserant, pridie Idus Iunii, & in Tiberim proiectus est. Ex uxore N. geniti: *Panuinus ibidem.*

N.

N.

N.

Ex horum aliquo progenitus fertur.

Flavius Anicius Maximus. V. C. qui anno Urbis 1275. Christi uero 523. Consulatum sine collega strenuè gessit: & Primiceriatus, seu Domesticatus honore à Theodahato Rege, cuius consanguineam, Regiæ stirpis uirginem uxorem duxerat, condecoratus est: ut uidere est apud Cassiodorum, uariarum lectionum, lib. 10. epist. 11. quæ est ipsius Regis, ad Maximum.

Gra-



Gradus 14.

*Sergius Anicius Balista, Anicij Cerealis filius, ut nobis reliquit R. Bardi, cuius duo priora prænomena ex Golzio accepimus: cum in Asia Præfectum ageret sub Macriano, qui se pro Imperatore gerebat, Imperium & ipse contra Gallienum arripuit anno Urbis 1014. Christi 262. quod cum vix duobus annis tenuisset, factione Aureoli Imp. tyranni occisus est; relicto filio Anicio Iuliano, totius Anicianæ Familiæ illustratore.*

**GENS ANICIA PAULLINA,  
BASSA, ET FAUSTA.**

**G**entem Aniciam Illustrissimam, in plures Ramos fuisse diuisam, ita ut nonnulli eorum uocarentur Paullini, alii Bassi, quidam Fausti, cæteri Maximi, Symmachi, Boetii, de quibus partim diximus, partim dicemus suo loco, ex historiis clarum est. Et Paulinos quidem, & Bassos, Anicianæ Familiæ germina fuisse, produnt tum antiquæ inscriptiones, tum Consulares Fasti: qui quam celebres inter Senatores Christianos in Vrbe fuerint, ab Aurelio Prudentio aduersus Symmachum lib. 1. recensetur his uersibus:

*Non Paullinorum, non Bassorum dubitauit  
Prompta fides dare se Christo, stirpemq; superbam  
Gentis Patriciae venturo attollere sæclo.*

Quo uero temporis interuallo ex Anicia, Paullina, Bassa, uel Fausta dicta fuerit hæc Familia, non facile est peruestigare. Paullinam autem à Paulo, Bassam à Baso cognomine noto, & Faustam à fauore, quod prosperam, & felicem significat, cui omnes fauent, sic dici, contendit Panuinus de Familia Frangipania, lib. 1. cap. 4. Primus autem Familiæ Paullinæ, cuius in Vrbe mentionem factam inuenimus, est

N. Anicius Paullinus, ex sententia Huberti Golzii, Quinti filius, Consul susceptus est anno Urbis 1029. Christi 277. unâ cum Imp. Probo  
Augu-



Augusto; agnoscitur tamen pro uero Consule à Cassiodoro, Fastis Græcis, & aliis quibusdam. Eius filius fuisse putatur.

N. Anicius Faustus, qui secundum Fastos Græcos, Consulatum II. gessit cum Seuero Gallo, anno Urbis 1050. Christi 298. Eius filius.

M. Iunius, Cæsonius, Nicomachus, Anicius, Faustus, Paullinus, Consul factus est cum P. Publilio Cæsonio, Iuliano, an. Urbis 1077. Christi Domini 325. eo ipso anno quo Nicænum Concilium celebratum est. Cuius extat hæc inscriptio antiqua, cum adhuc gentilitate detineretur.

Herculi inuicto, M. Iunius, Cæsonius, Nicomachus, Anicius, Faustus, Paullinus.

Eius filius fuit:

Anicius Paullinus iunior, Consulatum ordinarium egit cum L. Rationio Acontio Optato anno Urbis 1086. Christi 334. ut edunt Fasti Græci, & Baronius; de hoc cum aurea statua donatus est, eiusmodi extat egregium antiquitatis monumentum.

*Anicij Iun.*

*Anicio Paullino Jun. C. V. Pro. Cos. Asia, & Hellepontis, Consuli ordinario, Pref. Vrbi, Vice sacra iudicanti, ob meritum nobilitatis, eloquij, iustitie, atque censura, quibus priuatim, ac publicè clarus est: petitu. Pop. Rom. testimonio Senatus, iudicio D. D. N. N. Triumphatoris Aug. Cesarumq; florentium, Statuam secundam auro supersusam locari sumptu publico, Placuit.*

Eius fortassis filius fuit:

Anicius Pontius Paullinus, V. C. qui ex R. Baronii sententia, natus est Burdegale in Aquitania, & Consul ordinarius factus est an. Christi 375. licet eius nomen in Fastis non reperiatur. Post sacris additus Nolanum Episcopatum adeptus est, & miraculis, ac sanctitate clarus migravit ad Dominum, anno salutis 431. die 22. Iunii, cuius laudes refert R. Baronius, tum in notis Martyrologii Romani, tum etiam tomo 4. Annal. Eccles. ad annos 375. & 394. ad quos Lectorem remitto. Eius uxor fuit S. Tarasia, ex qua filiam unam sustulisse fertur, sed quod eius nomen fuerit, hæcenus ignoro.

ANI-



## ANICIA BASSA GENS.

**B**Assorum Aniciorum clarissimam Familiam Romæ etiam extitisse testantur cum Aurelio Prudentio, & alii Historici; eorum primus in Fastis Consularibus nominatur, Anicius Bassus, qui anno Urbis 1158. Christi uero 408. Consulatum cum Fl. Philippo meruit: quem per manus quasi acceptum, eius etiam filius:

Anicius Bassus, in Occidente gessit, cum Fl. Antiocho Orientis Cos. anno Urbis 1183. Christi 431. De eo agens Panuinus lib. 3. comment. in Fastos, sic inter cætera inquit: *Est enim Aniciorum* (Bassorum uidelicet) *gens, Romæ per hæc tempora nota.*

## ANICIA FAVSTA GENS.

**E**X Aniciorum etiam sanguine, & ut ego suspicor, ex eadem quoque Paullinorum Familia, fuit Anicius, Acilius, Glabrio Faustus, V. C. qui anno Christi 438. una cum Imp. Theodosio XVI. in Occidente Consulatum administravit: qui in antiqua tabula marmorea Romæ etiam Præfectus Urbis appellatur, ita:

*DD. NN. Aeternis Principibus, Honorio, & Theodosio Anicius, Acilius, Glabrio. Faustus, V. C. Præf. Urb. Fatali casu subuersam, in formam prisici usus restituit.*

Eius filius creditur fuisse,

Auienus Anicius Faustus Iunior V. C. cuius Consulatus primum notatur in Fastis Consularibus anno 483. sine collega: & II. an. 490. cum Fl. Longino. Eius meminit Cassiodorus in epistolis, & Sidonius Apollinaris.

Gradus 15.

*Anicius Iulianus, Anicij Baliste filius, gessit Consulatum, R. Baronio attestante, tomo 3. annal. Eccles. cum Petronio Probiano, anno Urbis 964. Christi 322. quorum Consulatum vetus extat memoria sic habens:*

g Pe-



Petronio Probiano , & Anicio Iuliano  
Coss. Pridie Calendas Apriles, Coloni,  
& Coloniae Aeliae Hadrianae .

*Hunc Petronium Probianum familia quoq; Anicia fuisse non leui coniectura ducor . Iulianus vero primus omnium Senatorum Romanorum Christi fidem est amplexus, & fidei lumine clarissimam familiam, multo clariorem reddidit, de quo putatur dictum illud Prudentii, lib. 1. aduersus Symmachum .*

Fertur enim ante alios generosus Anicius  
Vrbis

Illustrasse caput: sic se Roma inclyta iactat.  
*Tempore huius Iuliani, vita scilicet eius, non autem consulatus, passi sunt Aquileia sub Diocletiano Imperatore, tres gloriosissimi fratres Cantius, Cantianus, & Cantianilla, ex hoc Illustri Aniciorum genere sanguinis lineam ducentes, quo autem consanguinitatis gradu Iulianum attingerent explicare non valemus. Sepulti sunt primum Aquileia, cum pedagogo suo Proto, qui cum eis capite plexus est; de quibus & Venantius Fortunatus sic concinit,*

Aut Aquileiensem si forte accesseris urbem,  
Cantianos Domini nimiū veneris amicos, &c.  
*Ab hoc Iuliano in posterum reliqua erunt clariora, cum auctoribus probatae fidei non modicum adiuti fuerimus, uti in subsequenti patebit: quod non ita euenit à Quinto Anicio Praenestino, usque ad Iulianum: Licet namq; nullum ex industria, aut propria sententia nostra apposuerimus,*



suerimus, quem non suppetierint nobis aliqui ex supra-  
citatibus historicis, aut Fastis; attamen cum ob immatu-  
ram R. D. Bardi mortem, unde sententiam suam con-  
firmaret inuestigare ab ipso non potuerimus, non sine  
rationabili causa de quibusdam eorum à nobis dubita-  
tum: quod Lectorem prae monere voluimus, ne nos fal-  
sitate, aut impositionis nota arguat. Urbis insuper  
Pratoriatum gessit Iulianus tribus annis continuis, vi-  
delicet annis Christi 326. 327. & 328. Et relicto  
unico filio, Sexto Anicio, obiit.

### Gradus 16.

Sextus Anicius, Iuliani filius, à patris sui fide, ac pro-  
bitate filij non modicum nobilitatus, cuius memoria ex-  
tat in Consulatibus tam filij, quàm nepotis, in Fastis  
Consularibus in quibus sic eius nomen legitur:

Sextus Anicius, Sex. F. Sexti N. Petro-  
nius Probus.

Opum suarum duos filios reliquit heredes, Sextum  
Petronium Probum, & Anicium Tertullum.